



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 113. Franciscus Xaverius Meacum, & inde Amangucium delatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

Sæcul. XVI. **A.C. 1551.** sacrum fontem admitterentur : igitur prima ejusmodi domus Goæ erigitur, eidemque Rector Antonius Gomez, seu Gomius præficitur. Postea Ignatius ad piam Clericorum institutionem seminaria in Diœcesibus erigi curabat, prout etiam ipsa adhuc D. Ignatii ætate Augustanus, ac Salisburgensis Episcopi in suis Urbibus ejusmodi domos construi jusserunt : præcipue vero id ipsum a Tridentina Synodo urgebatur.

§. CXIII.

Franciscus Xaverius Meacum, & inde Amangucium delatus.

Tursel. vit. *S. Xav. l. 4.* *c. 6. & 7.* *Bouhours vie de S. Xav. l. 5. p. 172.* *Orland. l. II. 113.* Interea Franciscus Xaverius remittente hyemis vi Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo primo Meacum venit, postquam maximos subiisset labores non modo ob frigoris, quod ibidem vel tum maxime ingruit, asperitatem, sed etiam propter ipsa itineris pericula : ut autem expeditum inter Barbaros iter haberet, Equiti indigenæ Meacum petenti sese famulum adjunxit, atque equitantis sarcinulam præter sua Missæ ornamenta ad celebrandum necessaria, cursitans gestabat humeris, pedibusque ibat potissimum nudis, eoquod rivi, amnesque vado transeundi se passim offerrent. Ve-

Sæcul. XVI.
A.C. 1551.

Verum in hac regione gentem reperi-
bat ad excipienda Christianorum sacra-
minus docilem; Japones enim, ut elato
sunt animo, peregrinum hunc verbi
Divini præconem, & suimet ipsius con-
temptorem mox abhorrebant, eumque
velut stolidum, ac fanaticum exagita-
bant. Ast ille læto prorsus animo cun-
ctos eorum insultus perferebat, gaudens,
quod dignus habitus esset, pro nomine
Jesu Christi contumelias pati: cum vero
horum infidelium superstitionibus obcæ-
catorum, atque suis in sceleribus obdu-
ratorum ludibrio haud ultra Christi fi-
dem exponere vellet, Meacum reliquit,
haud alium ex tanta segete manipulum
reportans, quam quod multa perpessus
fuerit propter Evangelium, factus om-
nium peripsema: frustra enim hujus
Provinciæ Regem alloqui nitebatur, fa-
telitibus omnes omnino ad illum aditus
obstruentibus, quinimo non solum ubi-
que cachinis excipiebatur, sed etiam
petebatur lapidibus. Ergo Amangu-
cium remigat, cum autem prima vice
hanc Regionem pertransiens præ ceteris
Regem salutare, eique Dona offerre
neglexisset, hinc ejusmodi urbanitatis
defectum reparaturus deposita veste ob-
soleta, alia nova, auroque splendida ve-
stimenta induit, duobus, tribusve famu-
lis eum comitantibus. Parabat insuper
sua

Sæcul. XVI. sua munera Regi offerenda, quæ erant
A. C. 1551. horologium sonans, necnon Monochor-
 dum præter alia, quæ a Malacensi Gu-
 bernatore, atque Indiarum Pro-Rege
 dono acceperat, ac jamjam Meacensi
 Regi destinaverat. Itaque splendido hoc
 ornatu insignis Regem, cui nomen Oxi-
 dono, adit, eidemque Indi Pro-Regis,
 necnon Goani Episcopi literas tanquam
 utriusque in eum benevolentiaæ testes
 tradit.

§. CXIV.

*Evangelii annuntiandi facultas Xave-
 rio ab Amangucii Rege data.*

*Turvel. l. 4.
 c. 7.*

Rex igitur acceptis hisce literis, ma-
 gisque oblatis Lusitanorum donis
 mire lætus, tantam liberalitatem com-
 pensaturus Xaverio magnum argenti,
 aurique pondus elargitur: verum ille
 haud immemor se Sacerdotem, non au-
 tem Mercatorem esse, remissis, quæ of-
 ferebantur, muneribus duntaxat Regem
 enixe precabatur, ut ipsi divinæ legis
 in sua ditione promulgandæ potestatem
 regio edicto faceret; hoc enim dono op-
 tatus nec sibi, nec Lusitanis dari posse
 asserbat: Itaque Rex animum a proprio
 quæstu tantopere alienum admiratus
 Xaverio, quicquid petierat, lubens con-
 cessit, atque extemplo per omnes urbis
 vias præconum voce pronuntiari iussit,
 quod